

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 48.

---

*Secretum litterarum commercium inter vivos  
et vita functos.*

Mercator Commercii amico cuidam — in Elysio.  
Ex mundo superiore.

---

Elysium-Meum, Die Martis, 16. Julii, 1810. (Neov. 22. Junii, 1810.)

---

Ex quo mundanis exutus es Amice Iediffia  
me! in Commercio nihil mutatum est. Con-  
tinuo adhuc Interdictum Angliam inter &  
nostram sulam, continuo adhuc difficultas  
adquirendi merces. — Ubivis severi vigiles,  
omnisque Continens adversus Britannos &  
eorum merces armata.

Quotidie lego politica scripta hauriendi  
ex iis animo aliquid spei & solatii, plurima  
continent argumenta de rationibus Galliam  
inter atque Angliam, quæ pacem maritimam  
ratiocinando nobis denegant. — Verum as-  
sentior dicenti: Verborum nostra sapientia  
realem scientiam difficiliorem reddi; mise-  
ret me hodiernorum Philosophorum! verba non  
sensus adprehendi possunt. —

Non equidem idcirco miror: quod plu-  
res quis prudentes in cortice verbi sapien-  
tiæ dentem destruunt, quin sensum veritatis  
exprimant. — Ita prorsus me fit, dum eua-

ita scripta de pace: an fieri possit, an secus, perlego.

Hæc in novissima Statistica argumentum legi, quod mirifice placuit, non ob difficultatem pacis, verum ob animadversiones, quas complectitur. — Ex qua tibi amice dilecte! quædam excerpere lubet.

Europa producit & in usus vitæ elaborat quidquid vitæ necessitati & commoditati servire valet. Europæ felicitas nequidquam a Britannicis manufacturalibus aut Colonialibus mercibus pendet. —

Si duntaxat maritimi Continentis Status, quorum commercium coloniale eversum, & qui aliorum orbis partium producta nobis advenire, jacturam hac conversione patiuntur, potius passî jam sunt.

Etenim non tam Anglia, quam potius Gallia, Hispania, Hollandia & Dania erant, quæ luxus articulis nos providerant, qui Consuetudine necessitates propemodum vitæ effecti sunt. Anglia novissimo quidem vicennio 200 circiter mill. libr. Sachari annue ex Colonialibus suis invexit, at earum 190 miliones in ipsa Anglia Hyberniæque consumti sunt. — Cumque hodie ob defectum tritici Anglici destillatores Sacharum ceu Surrogatum tritici usurpent, fit, ut consumptio tanto sit enormior. Superiore (1809) anno consumptio Sachari in Unno Regno computabatur in 290 mill. libris pond.

Gallia contra ex suis Colonialibus 140,000 vasa Sachari importabat, ex quibus 50,000

in Gallia remanebant, 90,000 boream Europæam petebant. Coloniae Hollandiæ, Daniæ & Portugalliæ perinde 50,000 vasa Sacchari suppeditabant, ut Germania & borealis Europa 140 = 220 milliones libras Sacchari consumerit, ad quod Angliæ Coloniae parum aut nihil contulere.

Eadem ratione Continens Coffeam potissimum e Colonia Gallicis, Hollandicisque sortiebatur.

Pretium mercium Colonialium bello diutius durante in Continente vix crescere magis quam hoc usque, potest: quantumvis arduissima & protentissima secundum oram telonialium vigilum series præsto excubet, clandestinitas nunquam satis anteverti potest. Lucri stimulus multo fortius irritat, quam ut ad audendum non alliceret, orarum extensio amplior est, quam ut quævis earum pars æquiformi vigilantia tractari, valeret. — Accedunt oberrantes Clasticulæ mercatoris, singularia mercatoria Continentis navigia per vices temporis Oceanum trajicientia, quin a Britannicis prædatoris animadvertantur, eo non computato, quod sub borealis Americæ neutrali vexillo iavhitur — si bellum mari diutius fureret, Asiæ producta medio oras legentium navium, & per cursules vias ad interiora Europæ promoverentur, ut olim ante factum, quam magnetica acus navigatorem per maria duceret, neque Vasco de Gamma promontorium bonæ spei circumnavigasset. — Societates peregrinantes mercatorias

(Caravanas) in perficiendo itinere, copia novorum Canalium adjuvaret, ope quorum Europæ flumina diversis maribus connexa, internum Continentis commercium ad perfectionem proveberent, qualem nullo adhuc tempore adeptum est.

Omnibus mediis, quæ secretum Conclave Anglicanum excellentiam, potentiamque Gallicani solii convellere prodigaliter adlaboravit, id solidius tanto splendidiusque redditum est. Quævis bella, quæ M. Britannicæ Politicæ adversus Galliam in Continente excitavit, ejus potentie spheram amplificaverunt. Dimidia orbis pars Napoleonis rationi status adstricta est. Plus quam probabile est, ubi Anglia nullam Hispaniam, Portugalliam nullam concitandam, aut juvandam habuerit, Moslemis trans Dardanellas regnum simile fatum experturum, quale multi experti Status, qui cum Anglia adversus rationem Continentis communem causam factitarunt, Satyrica Sepulcralis Pittis inscriptio: ejus affectu Gallicæ potissimum magnitudinem promotam esse; eamque, evehendo nationalia Anglicæ debita ad vertiginem adferentem altitudinem, Napoleonis utilissimum ministrum fuisse, hæc inquam inscriptio in Sepulcrali lapide Addingtonii, Canningii, Wellesleyi horribilem Continuationem repertura est. —

Ex altera parte æque res facti est, exclusionem Britannorum ex Continente, quam necessaria hæc agendi ratio ob insolentiam Anglorum etiam fuerit, quamque perniciosa

consectaria in Anglia primis annis pepererit, decursu nihilominus temporis eam in amplum emolumentum Angliæ convertendam esse. Quam Anglia ammissione Commerciæ Continentis jacturam tulit, eam monopolio cum cæteris orbis partibus, e quibus Europæos Status exegit, compensavit. Quo diutius directa Europa fuerit, tanto plura media & quæsitura reperturaque media est, pro re, & Colonis suis productis fabricatisque Continentis carendi, ut fieri possit, ut Europa pace etiam restituta multis articulis mercium minore numero vendat, quam olim vendiderit.

Prima belli basis, reciproca debilitatio corrumpit. Contrarium efficit continuatio luctæ. Gallica æque ac Anglicana gens, maxime culta orbis utraque reciproce vires & excellentiam agnoscere debent. Bellum quam maxime diuturnum æstimationem unius partis erga aliam haud infringet, ambæ anhelant pacem, si utrique æque honorifica, æque securitatem adferens esse potest.

Ante Gallicæ revolutionis eruptionem diversi hoc articulo temporis ad Imperium Gallicanum pertinentes Status ultra 200 lineales absque difficultate intertenebant, Gallia utpote & Hispania sola 140—150, Potugallia cum Italicis simul Statibus 20—30, Hollandia 25—30. Numerus hic animatis, ut hodie sunt, regiminibus, atque exactis tam atrocibus intra 20 annorum bellum experientis, brevi tempore rursus attingetur, imo commercio paullum efflorescente duplicabitur. —

Non est tamen propterea Angliæ a neo erecta Gallici Imperii maritime potentia in ratione florentis Commercii, & suarum virium quidpiam metuendum — Continentis Status lente duntaxat viribus diuturno bello exhausti convalescere redactamque ad incertas rem maritimam seriem intra plurium annorum post-lunio restaurare possunt. Et si, quod vix sperari potest, Continentis Classes insularis partes forent, M. Britanniæ semper id cedit emolumento: quod individuas & concentratas vires, distractis, & diversis status rationibus agitatæ Continentis viribus opponat. —

Fac Angliam, quod in se fieri nequit, sed fac Angliam exclusiva mari potentia reapse Status Continentis ad egestatem detruendo parem, id proprio suo factitaret damno. Statuum commercialium nihil magis interest, quam gentes fortunis crescentes contemplari, quibus commercii nexu iungantur. — Per opes solum gentium Commercium exerceri, ubertatem & multifariam productorum, fabricatorumque, quæ mutuam permutationem provocat, copiam commercia inquam prospere tractari queunt.

Reapse paci maritimæ de præsentis nihil in essentia amplius intercedit, potius pacis desiderium utrique parti par. — Præpondio Galliarum in Continente, prædominio M. Britanniæ in Oceano, nititur æquilibrium ambobus pro Statibus — & in hoc, nullo vero alio, æquilibrio Gvarantia inveniendorum Pacis Tractatum — tum solum, si Gvarantia hæc

non succedit, bellum perpetuum consequatur est necesse.

Jam nonnulla Dilectæ! nova adjicere lubet, commercium nostrum concernentia:

*Londino 4. Junii. Die 29. seqv. promulgatum:* „Rex dignabatur medio March. Wellesley S. M. primarii status Ministri ext. neg. ministris amicarum, & neutralium aularum ad hanc aulam residentibus notum reddere: suo Jussu, opportunas agendi rationes pro obsidione portus Helsingör initas esse, exque eo tempore quævis Jure Gent. & inter S.M. & neutrales Status initis Conventionibus sancitas agendi rationes: intuitu quarumvis navium memoratam obsidionem violare audentium, ineundas, & effectui dandas esse.”

Decretum hoc simile mihi videtur, voci clamantis in deserto. — Id residentibus Londini exterarum amicarum aularum Ministris promulgandum est — & quis amabo Continentis Status Londini Ministrum habet? quis Angliæ amicus est? Excepto legato Turcico nullus exteri Status minister adest — & Turci profecto Mare Balticum non secant — vere igitur *vox clamantis in deserto.* —

Res singularis! Dux Engolismæ, qui per Plymuthum Hispanias petiturus erat, a regimine jussa Londinum repetendi accepit.

Congressus Americanus solutus est, nulla nova lege æraria sancita, quoniam vero hoc mense vetus lex (Non inter Course a&c) vigorem ammittit, Præses novam editurus creditur. —

Aliud animum prosternens commerciale Nuncium! —

*Stralsunda 12. Junii.* Hujus Ephem. seqv. continet Holmia die 5. Maji:

Hodie cursor Cabineti cum litteris ad Consilium regiminis in Pomeraniam & Rugiam cum præcepto expeditur: percepto eo quasvis mari in Pomeraniam, aut Rugiam inventas — aut porro, quocunque sub vexillo, quocunque navigio venientes Coloniales merces absque exceptione sequestro adficiendi — una in argumento harum Interdicto adficiendarum mercium multifaræ investigationes demandatæ. — Evectio quoque quarumvis Colonialium mercium ex Svecicis portibus in Pomeraniam vetita est. —

*Die 28. Julii.* Extraordinaria Holmiæ Comitia celebrabuntur. — Præcox hæredis Coronæ mors eadem deposcit. —

Ex qua Dinastia, amabo, Princeps Coronæ hæres Svecicæ lægetur? — grandes motiones — Capitulum nequam. —

Amice! unum adhuc claudicans Nuncium! —

*E Rhen. inf. die 18. Junii.* Quævis merces Coloniales Amstelodamo per Arnhemium in Germaniam expeditæ, ut primum teloniam ad ædem advectæ, remissæ sunt, Amstelodamum rursus delatæ. —

---